

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

220

218

224

214

229

209

269

169

319

119

Ende

Anfang

209

aptatione, cellararius, cuius notitiam non habuimus, per rimas parietis respiciens nos amicabiliter salutavit, promittens nobis servitia praestiturum, unde, ut melius et sine nota posset nobis etiam extraordinarie dare cibum et potum et lumina accendere, solvit unam de asseribus extrahens duos clavos, ut attracto assere ad nos locus esset accipiendi et reponendi placita de spenda; nos tamen ingredi non poteramus, nec ipse cellararius ad nos poterat venire, nisi totum asserem deposuisset. Super omnia nobis consolatorium erat, quod omni hora poteramus habere lumen, etiam mediis noctibus, ad dicendum officium nostrum, quia in ipsa spenda semper lampas ardebat. Omnia etiam, ut praedixi, quae per galeam contigerunt, in puppi et in prora, ibi audivimus, et quando domini in puppi essent unanimes et officiales, quales essent, et quando venti essent boni vel inutiles, et breviter, omnia nova primum ad nos deferebantur, nam cellararius continue ab omnibus quaerebat, et ille hoc, alias illud postulabat, et nova contingentia ei recitabant, quae semper audivimus, nam transitus vel descensus fuit a coquina in spendam, et antequam vocaremur ad mensam, scivimus, quid commesturi eramus, et quando socii nostri comedere volebant scivimus, quamvis longe ab eis essemus. Recessum etiam galeae vel tardationem ejus in loco optime novimus, et omnia occulta ad nos deferebantur, et si non nobis dicebantur, tamen cellarario recitabantur in audience nostra. Cum ergo stantiam nostram praeparassemus, aderat hora prandii, et tubicines clangebant tubis ad mensam dominorum, jussit autem cellararius nos adscendere in puppim ad mensam domini patroni, cumque ibi venissemus, vidimus quidem mensas paratas, sed nullum alium peregrinum vel hominem humilis status ibi reperimus, et ideo non fuimus ausi nos ponere inter dominos illos magnos, rogavimus ergo scalium, qui mensis praeerat, cellarario et cocis, ut sineret nos manducare in carina juxta medium descensum supra latrinae ostium cum guardianis vel custodibus galeae, quos pro cibo et potu nostro mittere suis horis vellemus, et concessit nobis de consensu patroni. Sic ergo cunctis de carina sursum ad puppim ascendentibus pro cibo sumendo nos semper mansimus inferius, et portabatur nobis cibus et potus dominorum ad prandia et ad coenas. Diem ergo illam sic deduximus in adaptatione loci et ad vitam marinam nos disposuimus; non enim aequali sorte ducitur vita humana in mari